


Ge. 68.




1/2 3 fl. — Frederici tract.
— 12 2 — Cart. Com. & Lein. d.
— 8 fl. — Band


2/2 2 fl. — Comment.











Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be in a historical or Latin script.



DISQUISITIO PHILOSOPHICA

exhibens

BIGAM

POSITIONUM ILLUSTRIMUM,

Quarum

I. DE

ORACULIS GEN-

TILIUM,

II. DE

LYCANTHROPIA,

CHRISTO DUCE AC LUCE,

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
PERMISSU,

IN

INCLUTA AD SALAM ACADEMIA

Ad placidè ventilandum proposita,

PRÆSIDE

M. GEORGIO Newenfelde

Dantiscano,

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO HARDKENIO,

HAGA-SAXONE.

Habeb. in Audit. Philosoph.

ad diem Januar.

JENÆ

Typis CASPARI FREYSCHMIDII.

Anno M. DC. L.



DISPOSITIO REIPUBLICAE

DE RE PUBLICA

LIBER PRIMUS

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA





ΣΥΝ ΧΡΙΣΤΩ

PRO OEMIUM.

Recolimus Dei beneficio gratâ nuper memoriâ in Ecclesiâ cum Ecclesiâ sanctâ Nativitatis diem, nostræ salutis natalem. Majorem ab orbe condito nulla vidit ætas, nec ulla videbit unquam. Hæc etenim est dies illa omnibus valdè venerabilis, valdè memorabilis, quo de ventre processit virginali Puer admirabilis, totus delectabilis, in humanitate &c. Hunc salutarem Domini Natalem, versantes in Academia, Academico quoq; exercitio concelebrare justum putamus. Nolumus autem missâ in messem falce alienam, ea nunc quæ fidei sunt, ipsamq; Natalitiorum ingrediuntur constitutionem, tractare; Sed talem diâσνεΐω ad sublimes Theologorum scholas remittentes, unum vel alterum saltem adjacens, disquisitione philosophicâ dignum, ad placidam sententiarum collationem proponere volumus. Tu verò, cujus gloriæ in totum litamus, conatibus nostris aspire O æterna Dei Patris Sapientia! Sit ergò

POSITIO. I.

Oracula gentilium à Diabolis patefacta, non semel vera, quamvis plerumq; dubia & incerta, consulentibus prenunciârunt.

A 2

EXPLI-

EXPLICATIO.

§. 1. Dæmonem Dei simiam esse prævisiones prædictionesq; ejus variæ abundè testantur. Abolitâ enim ex hominum animis dolo verâ de DEO vero notitiâ, homines sibi relictî sine certo Numine in terris contra Conscientiam divagantes, solo naturæ ductu Numen quæ siverunt. Hanc sibi occasionem Dæmon commodissimam putans, homines à Deo separatos, ut ad se totos converteret, *oracula* ad eludendum visiones Prophetis divinitus factas, in veri Dei opprobrium, hominumq; perniciem introduxit atq; aperuit. Fuerunt autem *oracula* annotante *Peucero* lib. d. Divin: p. m. 86. b. responsa, quæ sciscitantibus in certis locis à Satana obsessis, vel *immediatè* ab ipsis Dæmonibus somniis, voce, gestu, nutu, sonitu, tinnituve data; vel *mediatè* ab hominibus superstitiosis Diabolico spiritu afflatis prolata. Prioris generis in variis per orbem locis exstruxerat Satanas. Sic in Lybiâ Jovis Hammonis, in Græciâ (quæ præ cæteris in superstitiones prona) Dodonæum (teste Herodoto omnium antiquissima) postmodum Pythium s. Delphicum, Trophonium, Sabæum, Apis Ægyptiorum, Amphiarai in Attica, Pharense, Antiochenum & alia prodierunt. Posterioris generis itidem varia occurrebant. Nonnulli enim homines *ἐν ασπίμυδοι* vel obsessi aut ventrilogi dicti, quia intra sese pectori vel ventri inclusos spiritus fatidicos habebant, qui vel suggerebant, vel compressis obessorum lingvis ipsi per eosdem ex ventribus vaticinia efferebant. Aliàs & Pythones nuncupati, quod defuturis occultisq; & ignotis, interrogarentur. Exempla huc facientia Vid. ap. Wierum d. Præst. Dæm. l. 2. p. m. 106. seq. Alii *ἐνθεσιασται* vel afflati vocati, qui non ab insitis diabolis regi doceriq; putabantur, sed per afflatum Dæmonis futura prædicebant. Ob hunc Diabolicum afflatum Lacedæmonii in fano Pasitheæ excubarunt, nec non Græci Æsculapii templum frequentarunt pernoctando, ut refert Peucerus cit. l. p. m. 257. b. Quidam denique *ἐκστατικοί* appellati, qui quasi extra se rapi

pti

pti sensu motuq; omni destituti jacebant, & postmodum
experrecti, quæ phantasiæ ipsorum Damon mira arte ind-
derat, profitebantur. Huc spectat decantata Magorum
Sagarumq; in lupos, feles vel canes transformatio, vel eti-
am putatitia animarum extra corpus ipsorum abreptarum
ad comitia nocturna in montem Bruclerorum transporta-
tio. Opinabantur scilicet se per Diabolicam istam *ensdoty*
verè vel in bestias transmutari, vel etiam quoad animas ex-
tra corpus abreptas ad diabolica ista comitia transferri.
Has & similes præstigias prætextu infallibilis revelationis ac
specie mirabilium occultarumq; naturæ virium Gentili-
smo olim pro divinis suggestit Deceptor maximus. Num
autem hæc ipsa Gentilium Oracula *vel verè divina; vel sem-*
per falsa; vel plerumq; dubia & incerta fuerint, paucis hæc ipsa
positione pro instituti nostri ratione enodabimus.

§. 2. Quoad primum, *Oracula Gentilium verè di-*
vina non fuisse facile patet: Nam (1.) Deus eadem prorsus exe-
cratur prohibens, ne Pythones (qui Hebræis divinatrices
spiritus denotant) interrogarentur, Deut. 18. v. 10, 11. Esa. 8,
19, 20. (2.) Indicia Oraculorum divinitus patefactorum,
his ipsis planè non competunt. Desumi autem possunt
hæc ipsa *æitheta*, partim *à forma & modo*, partim *ab objecto*
& materia, partim etiam *à fine*. Quoad *formam seu modum*,
patefactiones divinæ fuere Majestaticæ, nec non splendore
singulari ac maximo stipatæ, miraculis etiam confirmatæ.
atq; clarâ sonorâq; voce planisq; verbis prolata. Econtra
Gentilium Oracula nec majestate stipata, nec miraculis
(quæ naturæ legibus sunt superiora adeoq; infinitæ pote-
stati propria Psal. 72. v. 18) confirmata fuerunt, nec clara
voce verbisq; semper planis ad quasita sua protulerunt re-
sponso; sed verbis obscuritatibus inextricabilibus involu-
tis ac ambiguitatam plenis, instar pullorum nondum suo
putamine exclusorum ex imis terræ faucibus pipaverunt,
suamq; de humo eloquia musitarunt, vid. Esa. 8. v. 19. c. 29
v. 4, 5. *Objectum seu Materiam* quod attinet; Revelationes
divinæ semper verissimæ, certissimæ, utilissimæ ac saluber-

rima fuerunt: Gentilium verò oracula plerumq; falsa, incerta ac noxia, verboq; Dei contrariantia sciscitantibus dedere responsa, ut postmodum patebit. *Finis* deniq; apparitionum divinarum, quæ semper hominum salutem intenderunt, his ipsis Ethnicis Oraculis omnem adimit divinitatem. Hæc enim nunquam intenderunt salutarem hominum consulentium informationem, sed eorundem seductionem salutisq; privationem, quod suo exemplo ac tragico sæpè eventu consulentes ipsi satis superq; olim confirmârunt. Ex hæcenus dictis sequentem in modum argumentamur. Cuicumq; revelatum Dei verbum adversatur, neq; revelationis divinæ γωρίσματα competunt, id ipsum divinum nec est, nec dici meretur. Atqui Oraculis gentilium, revelatum Dei verbum adversatur, neq; γωρίσματα divinæ revelationis competunt. E. divina nec sunt nec dici merentur. *Plutarchus comment. d. Oracul. defect. circ. fin.* hæc gentilium oraculorum vaticinia terræ adscribit, cui Solem affectionem istam & temperiem, à quâ vapores & anhelitus ad divinandum facientes exhalârunt, ingenerasse arbitratur. Tales verò è terrâ exortos anhelitus atq; afflatus facultate imaginandi futura præditos, insolentem atq; ab usitata alienam hominum animis indidisse temperiem refert. Addit; certiora etiam verioraq; prodisse responsa, quo acrior, purior & elaboratior terra fuit, nec aliam ob causam conticuisse tandem oracula judicat, quàm quod vetustate vis terræ omnis exoleverit, quemadmodum annes non rarò exarescere experientia comprobant. *Cic. lib. 2. d. divin.* Delphicum oraculum ob eandem terræ vetustatem evanuisse scribit. Verum absurdissimam omnisq; rationis & fundamenti expertem hanc esse sententiam, quivis cui de rebus judicare adhuc integrum est, facilè videt. Quis enim nisi ἀλογος ac bardus planè terræ bruto Elemento omni sensu omniq; intellectu vel præsentium vel futurorum destituito tales operationes, quæ hominum rerumq; naturalium vires longè superant, tribueret? Solius naturæ intelligentis hæc esse rectè agnovit

vit

vit *Peucerus c. l. p. m. 107. b.* & quidem ejus quæ intimos animorum recessus vel perspicit, vel ex gestibus conjectat, quæq; futuros eventus cognoscit, in his, quæ vel ab ipsa diriguntur, vel ex aliorum actionibus prævidentur. Nec loci vetustas genuina dici causa poterit, cur responsa fatidica cessaverint. Non enim naturalis, sed verè divina hujus silentii fuit causa. Hanc ipsum prodidit oraculum, Augusto Casari per legatos consulenti hujusmodi dans responsum:

*Me puer Hebraus divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub orcum.
Aris ergò dehinc tacitus discedito nostris.*

Theologi etiam sequentes veteres Talmudistas à defectu oraculorum Gentilium Messiam jam venisse contra Judæos modernos probant. Messiam enim in adventu suo omnem Idolomaniam & oraculorum deliria abrogaturum esse ex vaticinio Zachariæ cap. 13. vers. 2. patet. Confer *D. Jac. Martini l. 3. de tribus Elohim cap. 31. & cap. 48.* Nec est ut quispiam talia animabus corporis vinculo solutis tribui posse somniet; has enim sive beatas, quas in Domino requiescere, non autem hinc inde oberrare revelatione novimus; sive damnatas, quæ infernum, ex quo nullus datur reditus, incolunt, talia præstitisse, nunquam probabitur. Nullum itaq; dubium esse existimo Oracula Ethnica cum nec naturam nec Deum autorem agnoverint ortum suum ipsis Diabolis debuisse. Immutata enim hujus consequentiæ vis permanet: Oracula Gentilium sciscitantibus dedere responsa vel Naturæ, vel Dei, vel Dæmonis instinctu & impulsu. Non naturæ, neq; Dei, Ergò Dæmonis. Ab hoc ergò tanquam autore genuino rectè diabolica dicuntur.

§. 3. Quà secundum: Satanam tam per Oracula sua quam per Magos ac Sagas sua quasi instrumenta non semel vera edidisse vaticinia & priscorum & recentiorum nobiscum loquuntur monumenta. Certum etenim est, Dæmonem cui multa vetustas scire dedit, ob summam substantiæ suæ agilitatem sensusq; subtilitatem, futura, si non in se
&

& ratione sui merè fortuita (qualia ipsius intellectum sub-
terfugiant) tamen ratione nostri qui ea ignoramus, talia
non quidem infallibiliter sed conjecturaliter ac probabili-
ter præscire posse, eademq; sciscitantibus prædixisse. Nec
mirum. Facili enim negotio eorum potest esse vaticinator,
quorum ipse futurus est author atq; director. Diurnâ
rerum experientiâ siderum naturam, situm atq; influxum,
viresq; elementorum aliorumq; corporum naturalium satis
exactè didicit. Unde Apostolo aëris princeps, qui sub cælo in
caligine aëris dominatur, vocatur Eph. 6. v. 12. Ea ergò quæ
in aëre vigent, ut sunt instantes tempestates, serenitates, ste-
rilitates, fructuositates, contagia & si quæ alia sunt, ut pro-
vidus naturæ augur prævidens, facilè prædicere potest. Mor-
borum etiam exitum, quos ipsi dæmones sæpè mediante vel
halitu vitioso, vel pulvere maligno aut aliis venenatis ef-
fluviis infligunt, facili negotio consulentibus patefacere
posse, nullum est dubium. Accedit, quod ne humano qui-
dem intellectui aliqua prænoscenti futura facultas penitus
denegari queat. E *Plinio* novimus, *Anaxagoram* in siccita-
te maximâ pluviam prænucciasse, indeq; pro Deo à suis con-
civibus habitum. *Democritus* quoq; vir sapientissimus, qui
divitiis sapientiam longe prætulit, olei aliquando prævidens
caritatem, omne intoto regionis tractu coëmit, ex quo dein-
ceps solus questum fecit maximum, sed pretium omne avari-
tis reddidit. Innuens hoc ipso divitias sibi quidem non
curæ, sed tamen in facili esse. Ast, si humanus intellectus
ad futura quædam cognoscenda sufficiens est, quis Dæmo-
ni, cujus sagacitas multò excellentior, tantas intelligendi
vires denegaret? Exemplis qui delectatur variis, evolvat
Peuceorum c. 1. qui passim complura huc facientia annota-
vit, quæ, quam transcribere, omittere brevitatis gratiâ ma-
luimus. Illud tamen, huic cum primis tempori accommo-
datum, modò neutiquam reticendum putavimus, quod Sa-
tanæ, antequam Salvator virgineo partu mûdo nasceretur,
jam tum per Oracula prolem de matre thori nesciâ nasci-
turam, prænucciaverit. Refert enim *Tacitus*, eo tempore
quo

quo Nativitas Messiae appropinquaret, publicam inter gentes vocem fuisse, Magnum Deum nasciturum. Augustus etiam ab Oraculo Delphico reversus in Capitolio aram erexisse fertur, cui haec Romanis literis inscribi verba curavit: ARA PRIMOGENITI DEI. Vid. *Da. D. Jac. Mart. p. m. c. l.* & *Pymander Mercurii Trismegisti eum comment.* Rosseli lib. 1. com. 7. q. 1. c. 3. Verissimum hoc fuisse Daemonis vaticinium de Messia, eventus ac complementum istius satis probavit. Potuit ipsi ceu sagacissimo spiritui, qui promptius quam homines unum ex alio colligere valet, hoc fidei mysterium e divinorum Prophetarum de Messia vaticiniis innotescere, quam postmodum suis etiam Prophetis ac Prophetissis notitiam patefecisse improbable non est, *Vid. August. lib. 13. contra Faust. Manich. c. 15. seq. & lib. 9. d. C. D. c. 22.* Etsi vero non semel vera atq; in se salutaria protulerit Satan, nunquam tamen, cum semper humani generis hostis sit insensibilissimus, cum studio veritatis ac intentione salutis humanae protulisset, certum est; sed hac fine eaq; intentione, ut veram Prophetarum doctrinam eluderet ac perverteret, suisq; diabolicis praesagiis auctoritatem quandam conciliaret.

§. 4. Quod tertium & ultimum hujus positionis membrum concernit; *Dubia plerumq; ac incerta Oraculorum fuisse responsa*, consulentium exitus qui amphibolicas Daemonis illusiones prius latentes fecit patentes, nos erudire potest. Exempla talium & similium fucorum, omnium seculorum suppeditat historia. E multis paucula haec apponemus. Delphicum Oraculum, Pyrrho Romanos oppugnaturum ambiguum hoc dedit responsum: *Ajo te Aecida Romanos vincere posse.* Ejusdem incertitudinis Croesus Cyrum debellaturus ab eodem oraculo reportavit responsum, ita se habens: *Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.* Hoc oraculo Croesus deceptus, cum regnorum opes expectaret, suas profligavit. Alberto Placeta Domino respondit: *Domine sis securus, inimici tui intrabunt terram tuam: Injicientur domui tuae.* Quod ita debuit legi & intelligi; *Domine sis securus, inimici tui &c. injicientur i. e. ignem, domui*
B tuae.

22
tua. Hieronymum Moronum Mediolensis ducis Lega-
rum tali utidem responsione dimisit aliquādo. Satanas: *Ibis,*
redibis non eris captivus. Hoc talem debuit habere sensum:
Ibis, redibis non, eris captivus. Plura ambiguum oracu-
lorum exempla passim apud *Peucerum* c. l. itemq; *Francisc.*
Vallesium lib. d. Sacra Philof. c. 30. p. m. 252. vide. Cui v. æni-
gmatica plerumq; consulentibus dederit responsa Satanas
facili negotio patet. Odio sc. implacabili genus huma-
num ab ipso mundi primordio persecutus est, hodienuq;
adhuc prosequitur. Hinc licet salutem hominum promo-
tam quandoq; velle videatur, eam tamen maxime cupit
impeditam. Quare nunquam ferme consona verbis facta
ipsius sunt. Est enim mendacii pater ab initio teste scri-
ptura. Joh. 8. & circumit, non ut seruet & profit, sed ut perdat &
devoret. Ne itaq; vel turpiter in mendaciis deprehenda-
tur eorumq; reus dicatur, vel, si quid occurrat, quod intelle-
ctu suo assequi nequeat, tacendo ignorantiam proderere tene-
atur, (Cum aliàs etiam ignoret quousq; conservator rerum
omnium, hos suos laqueos ac fucos, quos hominum generi
vendit, ac noctes diesq; struit, sit toleraturus ipsiq; permittu-
rus) fatidica responsa flexiloquis, obscuris atq; incertis
plerumq; illigavit oraculis, ut quicumq; etiam tandē sequa-
tur exitus, præfagiis sua constet integritas, semperq; vera
locutus videatur. Neutiquam ergo hujusmodi diabolicis
prædictionibus fides habenda. Veritatem enim cum lo-
quitur, ut fallat & decipiat loquitur. Hinc ipsum etiam,
veradicentem obmutescere jubet, Salvator ipse Marc. i.
v. 25. Luc. 4. v. 35. quo moneret, ne veritatem quidem ab
ipso audiremus. Theophilact. in cap. i. Marc. Conclu-
dimus positionem præsentem aureis *Cypriani* verbis Ep. 8. l. i.
Vitate linguam Diaboli venenatam qui ab initio mundi fallax
semper & mendax mentitur ut fallat, blanditur ut noceat:
bona promittit, ut mala tribuat: vitam pollicetur,
ne pervenire possit ad pacem &c.

POSI-

POSITIO II.

Lycanthropia, quam cū primis hoc Natali-
tiorum tempore, in Livoniâ, Curlandiâ, Russiâ & a-
liis locis usitatam esse vulgò credunt, nullam per natura-
lem potentiam obtinet possibilitatem.

EXPLICATIO.

§. 1. Per publicam viam ne incedito olim monuit
Pythagoras. Voluit hoc ipso vir sapientissimus innuere,
vulgaria hominum placita, quia non rarò debra, neq; satis
semper tuta, non esse tam numeranda, quàm ponderanda.
Plurima sunt plebis commenta & somnia, quæ nudè reci-
tasse est solidè refutasse. Inter alia plebs credula putat So-
lem Paschatos festo oriri exultantem & quasi cum tripu-
dio. Lienem etiam cursoribus excindi posse sine ratione
credit vulgus. Idem firmiter sibi persuasum habet, ma-
gos annuatim proximis à die Natali duodecim diebus in-
lupos transmutari, campos divagari, ac strages hominum
brutorumq; edere, cursuq; peracto suo tempore in pristi-
nam hominis formam redire, suaq; domestica negotia per-
ficere. Hanc monstrosam metamorphosin superstitiola
quoq; vetustas olim possibilem credidit. Unde *Plinius*
commemorat, Demarchum degustatis pueri immolati ex-
tis, in lupum fuisse conversum. *Boëtius* homines lupis nu-
per additos flere volentes, ululasse refert. Similia *Herodo-
tus*, *Apulejus*, *Plutarchus*, *Virgilius*, *Ovidius*, *Horatius*, *Proper-
tius*, *Juvenalis* aliiq; antiquissimi scriptores recensent, qui-
bus è recentioribus *Bodinus*, *Stumpsius*, *Job. Fridricus*, *Olaus*
M. accedunt. Exempla Lycanthroporum varia vide cita-
ta ap. *Dn. Henr. Nicolai*, *Tr. d. act. Mag. c. 6. §. 9. Wierum lib.*
3. d. Prest. dem. p. m. 318. seq. Peucerum l. d. div. p. m. 133.
seq.

B 2

§ 2. Hoc

§. 2. Hoc Pythagoræ monitum attendentes, à publicâ hâc viâ non satis hætenus tritâ ac planâ meritò discimus. Ut vero intelligamur cum multis quidem loquendum, cum sapientioribus autem rem accuratiùs inquirentibus sentiendum censemus. Brevitatis ergò summa tantum rei tantæ vestigia sequemur, ac Lycanthropiam verè transmutatoriam, quâ tota hominis substantia in lupinam vi artis magicæ totaliter transformari vulgò creditur, per naturam impossibilem esse brevibus exponemus. Totius vero controversiæ cardinem in unum quasi rationis gyrum compingentes, ita ratiocinamur: Lycanthropia verè transmutatoria, quam fieri posse bene multi opinantur, vel *hominis* vel *Dæmonis* respectu possibilis erit. *Non hominis*, quod hunc in modum probatur: Quæcunq; mutatio neq; secundum animam, neq; secundum corpus, neq; secundum utrumq; in unione spectatum s. totum hominem per vim naturalem potest fieri, illa utiq; ex parte hominis est nulla. Decantata illa hominis in lupum mutatio neq; secundum animam, neq; secundum corpus, neq; secundum utrumq; per vim naturalem fieri potest. Ergò illa mutatio ex parte hominis est nulla. *Major* quia sufficienter enumerat, per se clara est. *Minor*, quæ tria continet, patet: *Quâ primum* certum est, *non secundum animam hominis* Lycanthropiam naturaliter fieri posse: Illa enim in tali transmutatione *aut perit*, *aut remanet*: *Non prius*: Nam (α) anima humana, quia Spiritus immortalis, per naturalem ac creatam potentiam substantialiter mutari nequit, sed à tali interitu profus libera est. (β) Hanc corpori humano tanquam suo proprio subjecto, elapso certo temporis spatio, reduniri, ab ipsis Lycanthropis asseritur. Talis vero regressus in naturâ plane impossibilis est. Igitur in Lycanthropiâ anima hominis interire non potest. *Non posterius*: Nam, vel *in proprio* quo fuit *remanebit corpore*, vel *soluta in alienum tam diu transibit*. *Non hoc*: quia transanimatio illa Pythagorica tanquam absurdorum absurdissimum jamdudum ex agro Philosophico explosa est. Vid. *Danbar. coll. Psychol. disp. 1. controvers. 5.*

Ne

Nec forma hominis specifica, quæ dat soli homini esse distinguere & operari specificum ac proprium, alteri subjecto hoc pacto communicari potest. Ut enim suam in informando præstet officium, propriam corporis organisationem sibiq; convenientes dispositiones requirit, quas extra corpus humanum nullibi reperit. Undè scitè *Philosophus* l. 2. d. An c. 2. in fin. inquit, *Anima est in corpore, & in corpore tali non in quovis sine discrimine ullo.* Neq; illud: Proprium enim animæ humanæ corpus in lupinum verè transmutari constanter Lycanthropi credunt. Corpus verò lupinum cum prorsus ineptum atq; indispositum sit ad actiones ab anima rationali proficiscētes recipiendas, lupinam semper expetit formam, per quam lupus verè talis & esse & distinguere & operari à reliquis animalibus distinctum & proprium obtinet. Quare lupum reverà esse, simulq; rationali anima præditum esse quam maximè implicat. Anima enim humana dum lupinum corpus informare dicitur, erit vel *otiosa* vel *operosa*. Non *hoc*, quia lupus tanquam animal irrationale, rationales operationes ob manifestam contradictionem edere nequit. Neq; *illud*; quia forma rationalis in actu informationis constituta nunquam ab opere cessat, sed semper negotiosa est. Cum itaq; duæ oppositæ differentiæ unicam speciem actu constituere nequeant, quis, nisi sobriæ mentis expertus, in lupino corpore formam rationalem remanere crederet? *Quæ secundum*, nempe corpus humanum, itidem constat. Nam, non ex quovis quodvis sine ullo discrimine produci potest, nec quodlibet recipit quodlibet, ac cuiuslibet gaudet consortio, sed certa proportio inter formam & materiam adsit necesse est, *Arist.* cit. loc. Hinc neq; hominis corpus, quod certa quantitate & debita dispositione ad animam est determinatum, alterius materiæ, lupinæ scilicet capax esse potest. Deniq; *quæ tertium*, totum nimirum hominem ultrò patet. Nullam hominis partem essentialem in aliud specie diversum transmutari posse ex hætenus dictis satis patet, quare neq; totum hominem tanquam tertium quoddam ex harum partium unione resultans, substantialiter immutari posse sua

sponte sequitur. Præterea cum inter oppositas species nulla sit dispositio materialis, nulla etiam inclinatio mutua, nec hominem tanquam perfectissimam animalium speciem, in lupinam vel aliã diversam atq; inferiorem transire posse itidem manifestum est. Manet igitur conclusio syllogismi adducti firma, quæ inferebat, Lycanthropiam ex parte hominis esse nullam.

§. 3. Alterum disjunctionis membrum est, *neq; ex parte Dæmonis* talem Lycanthropiam fieri posse. Probatur hoc ipsum sequenti Syllogismo: Quæcunq; mutatio nec naturali, nec miraculoso modo à Cacodæmone fieri potest, illa Sphæram activitatis Satanicæ transcendit. Atqui Lycanthropia verè transmutatoria nec naturali nec miraculoso modo à Cacodæmone fieri potest. Ergo illa Sphæram activitatis Satanicæ transcendit. *Major* in se satis manifesta est. Quicquid enim Satanas perficit vel *naturaliter* vi propria, vel *supra naturaliter* vi aliena sc. divina præstat. *Minor*, quæ bimembris, patet. *Primò: Non naturali modo:* ad naturalem enim hominis in lupum mutationem requiritur ejus corruptio & lupi generatio. Ast generatio animalis Physica, cum sit actio corporis naturaliter viventis, quâ se ab interitu vindicare attentat, Diabolo qui vero Physico corpore debitisq; organis ad physicam operationem destinatis ac idoneis destituitur, nullatenus competere potest. *Nec secundo miraculoso:* quia Dæmonum potestas finita est. Ast quæ miraculosè fiunt, infinitam postulant *virtutem*; Non ergò transmutatio hominis in lupum miraculosa, ad quam requiritur annihilatio prioris, ac immediata creatio posterioris, quæ infinitæ virtutis sūt, Dæmoni possibilis esse potest. Unde & hujus Syllogismi conclusio salva manet, quod Lycanthropia talis sphæram activitatis Satanicæ planè transcendat. Nec officit hic loci nobis factum Magorum Ægyptiorum, qui baculos projectos in dracones commutasse dicuntur Exod VII. 12. Negamus enim vi artis Magicæ virgas projectas reverà in serpentes esse transmutatas. Concedimus interim eandem Dæmonem hominibus non ad-
verten-

vertentibus clam eripuisse, ac pro illis serpentes ipsis pondere aequales aliunde raptissime asportatos oculis spectantium modo invisibili obtrudisse, ita ut virgæ in serpentes viderentur conversæ. Confer *Dn. D. Brochmann. L. de angelis quest. 15.* Quæ aliàs hic à Lycanthropiæ Patronis urgeri ac in contrarium adduci solent, brevitatis gratia discursui reservamus. Poterunt interim sequentia colophonis loco paucis notari. I. Lycanthropiam aliam esse *verè transmutatoriam*, de qua hic nobis sermo est; aliam vero *Satanicè illusoriam* seu *prestigatoriam*, quæ dupliciter contingere potest (α) *Cacodemonis sevitia & presidio*, qui nunc variis apparentiis homines decipit, nunc alia pro aliis subdititia ostendat, dum vel verum objectum remover, vel falsum ac phantasticum substituit, vel sensus hominum pervertit, ut mira homines se videre, aut insolita audire ac præstare opinentur, licet mera sint Satanæ ludibria, qui spectris homines illudit, eosdemq; *ensæ dei* diabolica corripit, ac phantasmata varia suggerit. (β) *Hominum vitio*, quo homo perversa ratione à communi humanitate exorbitans in beluam veluti degenerat, & omnem humanitatis sensum exiit. Videatur *Arist. lib. 7. Eth. Nicom. cap. 1. 6. 7.* Hæc vero appetitus humani exorbitantia iterum variè fieri potest; vel ex gravissima corporis morbificatione; vel ex humanorum morum in beluinos degeneratione; vel ex diuturna debacatione Vid. *Dn. Nicol. cit. loc. §. 17 18. II.* Distinguimus inter *potentiam Dei infinitam & Damonis finitam.* Divinitus realem hominis in lupum, felem, canem, vel aliam bestiam transmutationem possibilem esse, ultrò concedimus, negamus autem per damoniacam vel ullam aliam finitam potentiam id ipsum fieri posse. Vide uberius hæc deducentem *Tannerum Tom. 1. Theologiæ Scholast. disp. quest. 5. dubio 4. assert. 6. Doct. Gerhardum Tom. 8. L. C. de morte § 158. aliosq; Tantum.*

SOLI DEO GLORIA!

Si


SI Christo benè cessarunt oracula nato
Ethnica, jam locus his amplius esse nequit:
Attamen in niveis memorantur talia chartis,
Dum cunas Domini concio sacra movet.
Inde lupi veras homines *adsumere* formas,
Newfeldi rectè crena *diserta* negat.
Christifer Hardkenius Zetema resolvit utrumq;
Ille triumphat, ovat scilicet hic meritò.

*Cl. Dn. M. Nevenfeldio oratoris suo dilecto,
presidi dignissimo, & Humanissimo Dn.
Respondenti felicitatem & divinam be-
nedictionem ex animo precatur*

GOTTFREDUS CUNDISIUS S. S. Theol. D.
& P. P. p. t. Academiae Jenensis Rector.

Actio si fervens faciat (quod dicimus) artem,
Pulpita plus artis plus repetita dabunt.
Floribus euge igitur iuvenilibus uteris, euge
Tempus in hoc valdè commoda verba facis;
Quàm benè Vix cathedrã liquisti, scandis & inde
Exagitas homines - annua spectra - lupos.
Tempore materies non est minus altera digna;
A natò Christo Numina ficta tacent.
Temporibus servis anni: deserviat annus
Hic novus & Musis tempora cuncta tuis.
Ita amico suo dilecto & honorando gra-
tulabundus deproperab.
M. Christophorus Rhenius Jfna.







IN
DE
O S C U L I S
P R E S I D E
D. PAULO FRANCISCO ROMANO
JURISCONSULTO
TIMOTHEO NIKICHIO, LIPSISIS
IN ACADEMIA
L. C. M. D. C. L. X. V.
L I P S I A E
TYPIS PARISIENSIS, TIMOTHEO NIKICHIO



Ki 4062.

ULB Halle

3

001 601 903




Sb.

1017


971





Faint handwritten text on the spine, possibly including a title or author's name.





B.I.G.

Farbkarte #13

2

PHILOSOPHIC A

bibens

G A M

ILLUSTRIMUM,

rum,

DE

LIS GEN-

UM,

DE

HROPTIA,

ICE AC LUCE,

SOPHORUM ORDINIS

MISSU,

IN

LAM ACADEMIA

ndum proposita,

SIDE

IO Newenfelde

antiscano,

NDENTE

HARDKENIO,

AXONE.

it. Philosoph.

Januar.

Æ

FREYSCMIDII.

M. DC. L.

